TRISTES EXEQUIAS
QVAS
PRÆ-NOB. CLARISS. DOCTISS.
DOMINUS

PETRUS ZORNIUS,

GYMNASII THORUNIENSIS RECTOR
FAMIGERATISSIMUS,
FILIO UNICO ET CARISSIMO

ADRIANO PHILIPPO

MORBILLIS INFELICITER EXTINCTO,
d. 2. Aug. A. R. S. M. DCC. XLI.
SOLENNITER INSTITUIT,
SIMPLICE ELEGIDIO COMITARI
SUMMAMQUE OBSERVANTIAM CONTESTARI
VOLUIT
HELICON THORUNENSIS.

THORUNII
Impressit Johann. Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMN. Typographus.

Ergo iterum blandi marcescunt veris honores.
    Non rosa, non violæ, non hyacinthus adest,
Iam nec prata virent vario depicta colore,
    Nec gemmas arbos vel pia vitis agit.
Iam silet omnis aër, quando prædulcis aëdon
    Occlusit vocem, nec sua fata canit.
Gramina quid mirum falci succumbere acutæ,
    Pictaque sole suo crescere poma simul.
Nunc etenim regnat præfervida stella Leonis,
    Iungitur huic rapidi stella maligna Canis.
Hinc caput alma Ceres gravibus præcingit aristis,
    Munera ruricolis messis opima parat.
Morborum hinc genus omne volat, perimitque repente
    Corpora, securos & Libitina rapit.
Heu mihi, Libra dies quam mox æqualibus horis
    Dividet, & Phoebum longior umbra teget!
Tum Pomona suos fructus decerpet, Iacchus
    Plenis spumabit Massica vina cadis.
Quod nisi bruma nives gelidas adspergeret orbi,
    Hinc etiam posset lætior ire dies:
Frigore Pieridas nunquam torpere molesto
    Esset opus, mage mens ingeniosa foret.
O curvas hominum mentes! quis ponere leges
    Præsumat superis, vel variare gradus?
Naturæ sic jura jubent, sic omnia fatis
    Subjecta, & numero stantque caduntque suo.
Nempe ut condiscant homines, nihil esse perenne
    Rebus in humanis, nil stabile esse diu.
Si cui cymba volat ventis subvecta secundis,
    Mox tumido visa est æquore quassa rapi:

Si quibus

Si quibus arca gemit millenis plena talentis,
Frumentique strues horrea lata premunt:
Quam subito in turpes cineres hæc flamma resolvit,
Factus & est parvo tempore nudus opum.
Regales etiam patiuntur funera turres,
Et manet eversis non nisi fama super.
Secula viderunt regum diademata terræ
Affligi, & Nemesis frangere sceptra solet.
Scilicet immotum nihil est, semperque rotatur
Ordine, quod mundi machina magna tenet.
Adspicit hæc sapiens, animumque obfirmat in omnes
Casus, semper ei fata superna placent:
Innixusque *DEO*, pelagi immersabilis undis
Enatat, intrepidum magna ruina ferit.
Hæc TE adeo spectant, RECTOR venerande *Lycei*,
Qvem modo post Viadrum Vistula lata fovet.
Sorte Tua felix fueras, quum grande Sedinum
Ornasti ingenio Thespiadumque chorum.
Mutare has sedes, aliosque subire penates
T*E* fatum arcanum jussit, ut auxilium
Aonioque gregi ferres, famamque parares
Amplius, hæc olim Jam stabilita fuit.
Huc transportasti felici sidere NATUM,
Vivida qui docti Patris imago fuit;
Delicium Matris svavis, spes certa decusque,
Et patrii pariter firma columna laris.
*A*c veluti navis, tubiis quam fluctibus errat,
Non metuit Borean, sed quasi fixa sedet;
Non etenim spissis avellitur ancora arenis,
Huic innixa ratis, totaque nixa salus:

Sic ADRIANUS erat vitæ prænobile fulcrum,
Famæ heres, gentis ſurculus unus erat.
Ille ſenectutis columen nam debuit eſſe,
Ad quem tranſiret nomen & omne decus.
O ſpes fallaces hominum! dum tertia luſtra
molitur, ſubito floſculus ille periit.
Floſculus in mediis ſuccidit ur auctibus, atri
Morbilli immeritum nempe dedere neci:
Iamque peregrino tumulum ſub ceſpite functus
Repperit, hinc lætum juſſus adire polum.
Hinc dolor, hinc lacrimæ, luctus, ſuſpiria, vota
Sollicitant animos, ac ſine fine premunt.
Sed bene fit: DEus ipſe vocat: qui rite Tonantem
Conſequitur, luctus grande levamem habet.
Nil homini proprium ſuperi tribuere, nec ipſa
Arbitrii noſtri (credite) vita cluet.
Quærere fas aliam patriam eſt, ipſa optima tellus
Exilium eſt, vere eſt hic lacrimoſa dies.
Iam quæ jure ſuo repetunt pia numina, noſmet
Quando vocant, lætos cedere nonne decet?
Sed quis doctorem doceat moneatque magiſtrum?
Zornius excellens his meliora tenet.
Nos noſtri officii memores, hæc paucula triſtes
Scribimus Hadriano, ſic quia fata jubent:
Floſculus ereptus terris, translatus in hortum
Sidereum creſcit, perfruiturque DEO.